Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 83
Quelle:
Copyright:

ſuſcitabit Zelum, *Vrlivger erchuchet erneſt.* Sceptrum, *Chunicgerten.* Feſtus, *Tultlich.* Numquid, *Wergot.* Formoſus, *Wolgetan.* In furore, *in Unſite.* In conſpectu, *an Beſchowede.* Holocauſta, *Oblei.* Adjicies, *Erbaldeſt.* &c.

In fronte Codicis ſeu Pſalterii a manu συγχρονῳ legitur: *Margret pötſchin andrein.* Fundavit *Eberhardus* II. Archiep. *Salisburgenſis* a. 1212. in *Carinthiae* Valle *Lavantina* Collegium Canonicorum Regular. ad *S. Andream.* Utrum etiam pro altero Sexu, non quidem reperio, ſuſpicor tamen, cum exempla non deſint. Significaret itaque τὸ *Andrein* Virginem canonicam *Andreanam*, quod nec a more loquendi Germanorum abludit, et credibile ſit ab ipſa Codicis ratione. Quid enim ſacris Virginibus ex inſtituto latine pſallentibus optabilius ſit, quam ut eorum, quae cantare tenentur, ſenſum et vim lingua patria adſequantur?

LIX.

R. 2184 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 174. 4. luculente ſcriptus, rubricis et quibusdam literis initiorum deauratis et picturatis illuſtratus eſt *Pſalterium Davidicum* adjunctis Canticis Biblicis, Hymno *Ambroſiano*, Oratione Dom. Fide Apoſtolica et *Athanaſiana*, et Litaniis OO. SS. Praeit *Calendarium* cum ſignis Zodiaci pulcre picturatum, in quo *Benedictus* et *Bernhardus* miniati, et poſterior quidem Sanctorum recentiſſimus, unde colligo Codicem fuiſſe *Ciſterciensium*, et quidem ex inſerta Scheda feminei Sexus, atque adeo Parthenonis *Aulae Regiae*, qui *Brunnae Moravorum* fuit. Pſalterii initium, ut et *Januarius* cum *Februario*, deperiit. Eadem jactura aliquot inſuper locis per decurſum *Pſalterii* obſervatur. Singulorum Pſalmorum initiis ad marginem manu συγχρονῳ addita eſt quaedam ad B. V. *Mariam* adſpiratio. Ita v. g. ad Pſ. LIV. *Ave uirgo ſimplex ut columba, quę de mortis huius tumba ſumptis pennis auolaſti ad quietem, quam amaſti.* In Litaniis inter Martyres invocatur S. *Mamas*, cujus ratio me latet, cum alia SS. Nomina dubitare non ſinant, Codicem in *Germania* ſcriptum fuiſſe. Pag. *ult.* de *Curſu ſancte Marie* non niſi initium ſupereſt.

LX.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 116. 4. charactere craſſo, luculento exaratus, et minio illuſtratus, aevo tamen et uſu ſatis adtritus *Pſalterium Davidis* eſt adjunctis Canticis Biblicis, SS. Litaniis et Mortuorum Vigiliis. Praeit Calendarium *Januario* truncatum, in quo *Uodalricus* et *Afra* rubricati, unde Dioeceſin *Auguſtanam* arguo. Habet Obitus ſat frequenter adnotatos Monachorum, Sacerdotum, Militum, Laicorum, Monacharum, Laicarum partim jam extritos, quorum notari fortaſſe meretur 11. *Decembr. Dominus luopoldus de aychach ſacer-* R. 2051